



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

V. An, & quomodo possit fieri Permutatio Beneficiorum Ecclesiasticorum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

712 Tract. XI. De Beneficijs, Jure patronatus, & Decimis. Dist. II.
tionem supplicare, arg. c. Tua nos. de Simonia, ibi: Rogans hu-
milater.

Q U A E S T I O V.

An, & quomodo possit fieri Permutatio Beneficiorum
Ecclesiasticorum.

Permutatio
Beneficiorū
propriā au-
thoritate
fieri nequit:

Secūs, acce-
dente au-
thoritate
Superioris.

Solvitur in
stantia.

Forma &
modus per-
mutandi
Beneficia,
qualis?

ONCL. I. Etsi illicita sit, quin etiam accedente pactio-
ne Simoniaca, permutatio Beneficiorum Ecclesiasti-
corum privatā autoritate facta; atque insuper Bene-
ficia Ecclesiastica perdant, qui ea propriā autoritate commu-
tant: nihilominus licita est resignatio Beneficiorum causā per-
mutationis inter personas Ecclesiasticas idoneas, autoritate le-
gitimi Superioris interveniente. Ita certa, & communis; pa-
tentque singula ex diversis textibus Juris. Et quidem prima pars
habetur c. *Quaestum. de Rerum permutat.* ibi: *Generaliter tenet,*
quod commutations prebendarum de jure fieri non possunt, prasertim pa-
etione premissa, que circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem
semper continet simonia, cum concordantijs. Deinde, quod per-
dant sua Beneficia, qui eadem propriā autoritate permutant,
textus est clarus in o. Cū olim. cod.

45. Altera pars Conclusionis, quod videlicet legitimā Su-
perioris autoritate interveniente, licita sit resignatio Bene-
ficiarum causā permutationis, habetur cit. c. *Quaestum. de Rerum*
permutar. juncta Clem. un. eod. Ubi insuper additur, quod si quae
Beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata fue-
rint, ea alijs, quam ipsis permutare volentibus conferri nequeant;
alioquin collatio nullius sit firmitatis.

46. Nec obstat textus c. *Majoribus. de Prebend.* ibi: *Divi-*
sionem prebendarum, aut dignitatum per mutationem fieri prohibemus.
Resp. enim cum Glossa ibidem, id intelligendum sine autoritate
Superioris: Superior enim, si expedire viderit, poterit admittere
resignationem causā permutationis factam, per textus num.
prac. allegatos; etsi eiusmodi permutatio propriā autorita-
te neutquam fieri possit. Et hoc modo concordantur jura ju-
tibus.

47. CONCL. II. Forma, & modus permutandi Beneficia,
est: ut ea Clerici resignent in manus Ordinarij, exprimentes,
quod id causā permutationis faciant; ita tamen, quod prius ac-
cesse.

cesserit consensus eorum, qui jus conferendi, eligendi, vel præsentandi habent. Quo casu arbitrari debet Ordinarius, num admittenda sit resignatio, nec ne: & si admittendam censuerit, nulli alteri, sed præcisè ipsis causâ permutationis resignantibus, Beneficia illa conferre poterit, ac debet; & collatio alijs facta non tenebit. Ita habetur cit. Clem. un. de Rerum permutat.

48. Quæres, an in permutatione Præbendarum, sive Beneficiorum Ecclesiasticorum quoad titulum, quorum unum pin-
guiores habet proventus, absque labe Simoniz possit suppleri
præmium pro minus valente? Ratio dubitandi est: quia, quando
duæ Ecclesiæ jure proprietatis unâ cum suis possessionibus invicem
permutantur, potest pro alterius Ecclesiæ possessionibus preti-
um suppleri, dummodò adhibeatur cautela in Jure Canonico possit sup-
p. Ad questiones. de Rerum permutat. insinuata: hoc est, dummodò pleri pretiū?
id fiat, non unicum duntaxat contractum instituendo (alioquin
enim præmium refundi videretur etiam pro ipsamet Ecclesia, quod
sapit Simoniam) sed faciendo duos contractus, quorum uno ad
invicem gratis Ecclesiæ, altero autem possessiones earum cum
refusione certæ pecuniae permutantur: ergo idem videtur posse
fieri in proposito.

49. Resp. in solutione hujus dubij variare Doctores. Et affirmant
quidem affirman^t Angelus, & Sylvester, ¶. Permutatio. 2. q. 6. aliquie
post Abbatem c. Ad questiones. n. 3. de Rerum permutat. Eandem
sententiam ex professo tradit Lessius lib. 2. cap 35. num. 101. alle-
gans Sotum, & Cajetanum. Probant in primis hanc sententi-
am ex cit. e. Ad questiones. eod. ob paritatem rationis. Addit
Lessius, hanc compensationem exigi posse, non pro excessu,
qui remanet annexus ipsi titulo Beneficij; sed pro incommo-
do temporali, quod quis subit se spoliando majoribus illis pro-
ventibus, aut spe ipsorum. Sed quidquid sit de probabilitate hu-
jus opinionis.

50. Opposita sententia non solum est probabili^r, sed Opposita
jure merito tenenda; prout eam tenent Covarruvias lib. 1. var. sententia est
refol. c. 5. n. 9. Navarrus cap. 23. Manualis, num. 100. §. Tertiò. Lay- Probabilior,
man lib. 4. tratt. 10. c. ult. num. 54. citans insuper Suarez, & Vas- ac merito
quez; Engel tit. de Rerum permutat. num. 4. post Barbosam, Val- tenendas.
lensis, & alii. Ratio hujus sententiae, simul & disparitatis inter
permutationem duarum Ecclesiarum unâ cum suis possessioni-
bus quoad proprietatem, & inter permutationem duorum Be-
neficiorum quoad titulum unâ cum suis proventibus, hæc est:

Xxxii quia

quia in priori casu duæ possunt intervenire, atque interveniunt permutationes, sibi invicem non permixtæ; una videlicet Ecclesiastarum, altera possessionum, *juxta cit. c. Ad questiones. eod.* Econtra in altero casu una duntaxat potest intervenire permutatione, sic que nequit adhiberi comfamilis cautela.

Nequeunt
permutati
proventus
sine Benefi-
cio.

s 1. Probatur hoc ultimum: quia Beneficiarius non est dominus possessionum, v. g. agrorum, aut prædiorum Beneficij (sicque has distincto contractu permutare nequit) sed ex iis tantum percipit redditus, ut quid accessorium adipsum Beneficium. Deinde Beneficiarius etiam non habet jus, & dominium reddituum futuro primùm tempore obventorum, sed eos primùm acquisiturus est sub conditione Beneficij retinendi, atque officij debiti præstandi; ergo antecedenter eodem permutare nequit. Tandem permutatio illorum reddituum, cum sint quid accessoriū ad Beneficiū, similque primūm acquirendi sub conditione Beneficij retinendi, hoc ipso nequit separari à permutatione Beneficij; sicuti fit in permutatione Ecclesiarum, suarumque possessionum quoad proprietatem.


Solvuntur
rationes
prioris sen-
tentiae.

s 2. Et per hoc patet ad rationes prioris sententiae. Nam ad primum negatur consequentia, & paritas inter permutationem Ecclesiastarum unā cum possessionibus & permutationem Beneficiarum unā cum redditibus: quia ibi possunt institui duo contractus permutationis, non hic, ut proximè explicatum. Ad alterum dicitur, redditus futuros Beneficij, ac spem ipsorum consequendorum, habere necessariam dependentiam & connexionem cum Beneficio; cum sint accessorium hujus: unde urget illud *can.* *Si quis objecerit. 1. q. 3.* ibi: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrū in venditū derelinquit.*

Potest tunc
Episcopus
pensionem
constituere
in pingui-
o: Beneficio,

s 3. Cæterum his non obstantibus, potest auctoritate Episcopi in hujusmodi casu constitui Pensio in pinguiori Beneficio, præstanda alteri Beneficiario, qui illud ob utilitatem Ecclesiastrum pro minus pingui relinquit. Engel *loc. cit. num. 4.* post Navarrum *de Simonia, Consil.*

43. n. 4.



DI-